



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118456**

§. 48. Ludovicus XII, in Franciam redux.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)



Castro - Francorum stationem agebant, capto etiam Alvardo eorum Præfecto. Præterea Senatus, ut Reipublicæ subditos arctius sibi constringeret, edictum promulgabat, quo populis damna hucusque perpessa cunctaque toto belli cursu sufferenda reparare pollicebatur. Cum vero promissorum amplitudini fidei constantia minime deesset, Respublica ex libertate sua sat ampla reportavit commoda; quippe pristini ejus subditi hac spe animati nil intentatum relinquebant, ut se, suaque Senatorum obsequio devoverent, unde horum auxilio Veneti plurimum aucti, etiam Leoniacensem urbem situ & opere longe munitissimam inopina irruptione ceperunt, moxque sibi aditum ad Athesim Fluvium atque exinde ad ampliores spes januam aperuerunt.

Siscal. XVI.  
A. C. 1509.

§. XLVIII.

*Ludovicus XII. in Franciam  
redux.*

Quamvis adeo prospera Venetorum rebus fortuna adspirasset, nihilominus Ludovicus Rex in regnum suum, cum illud ejus præsentiam tunc exigere, reverti constituit: Italix tamen curam cuidam Præfecto reliquit, cui etiam ad tuendas Mediolani ditiones septingentos lancearios addidit, dato negotio, ut  
Cæsar

*Seysfel hist.*  
*Ludov. XII.*  
*Guicc. lib. 8.*



Sæcul. XVI. A.C. 1509. Cæsaris mandatis ex asse morem gereret, ac publicæ rei commoda pro viribus promoveret. Hic demandata sibi provincia haud impigre fungebatur: sub idem vero tempus Veronenses, ac Vicentini pristini sui Principis imperium anhellabant, ac Patavinorum exemplo excitati clam seditionem moliebantur, Cæsareos ex urbe depulsuri. Verum Palliæus rem edoctus, cuncta eorum consilia disjecit, & quamvis Veneti jamjam copias suas in aciem eduxissent, spe concepta, se utramque urbem occupaturos; Gallis tamen adventantibus ad Patavina moenia sese recipere compellebantur; unde ambæ civitates aliquamdiu Cæsaris dominationi assertæ manebant; interea vero Maximilianus, qui tum ad Alpium fauces Marosticæ agebat, veritus, ne hostes primis victoriæ auspiciis animati, viam ei præcludere, reditumque in Germaniam prohibere tentarent, ad castrum Scalæ ad fines Tyrolis, quæ Austriacæ Domui parebat, celeri fuga sese recepit.

## §. XLIX.

*Patavium a Cæsare obsessum.*

*Marian. ib.* *v. 86.* Eodem tempore Imperator novis militum subsidiis auctus, facile triginta armatorum millium exercitum numerabat,